



**In hoc libello contenta. Annemundi Cocti Equitis Galli ad  
lectorem Epistola. Christianissimi Doctoris Martini Lutheri ad  
Inlustrissimum principem Carolum Sabaudiaë ducem Epistola.  
Huldrichi Zuinglij Tigurini Episcopi uigilantissimi ad Petrum  
Sebiuilla[m] Gratianopolitanum Ecclesiasten Epistola.**

<https://hdl.handle.net/1874/420769>

8

**IN HOCLI**

**BELLO CONTENTA,**

**Annemundi Cocti Equitis Galli ad lectorem**  
**Epistola.**

**Christianissimi Doctoris Martini Lutheri ad**  
**Inlustrissimum principem Caro**  
**lum Sabaudiaꝝ ducem**  
**Epistola.**

**Huldrichi Zuinglij Tigurini Episcopi ul**  
**gilantissimi ad Petrum Sebiuilla**  
**Gratianopolitanum Ec**  
**clesiasten Epi**  
**stola.**

**Prædicabitur hoc Euangelium regni in uni**  
**uerso orbe, in testimonium omni**  
**bus gentibus: & tunc uenit**  
**consumatio.**

**Matthæi.**

**24.**

*ms. p. 42.*

## ANNEMVNDVS COCTVS EQVES

Gallus pio Lectori.

**D**OMINVS tecum. E Gallijs in Germaniã exi  
 ui nō aliam ob causam, nisi ut eos nossem è facie,  
 quos fama iam mihi fecerat notissimos. Quæ qui  
 dem ferebat, quàm purè, quànq; germanè quidam CHRIS  
 TVM, iam à multis annis ignoratum, in lucē denuo pro  
 ferrēt. Nec frustra exiui, nam præter hoc quod illos uidi, aus  
 diui, & in amicitiam receptus sum; etiã alijs, ita mihi uide  
 or, profui. Adiens enim primo Lutherum, posteaquam fas  
 miliarior mihi factus est, multa sum loquutus cum eo de res  
 bus Christianis; inter alia incidit nobis sermo de principib.  
 Tum ego commēdaui, ut par erat, Principem inlustriſsimū  
 Ducem Sabaudia tam prudentem, quàm studiosum ueræ  
 pietatis. Hoc autem audiens Lutherus dixit, se, cum id officij  
 sui sit, posse adhortari illum, ut perseveret esse, quod audi  
 at (prius enim, nescio unde, perlata ad eum fuerat fama bona  
 de Principe) Tum ego, si tibi placuerit scribere, me non pige  
 bit perferre. Scripsit is igitur, ego pertuli. Spero rem me fecis  
 se Principi gratissimam. Deinde aut Tigurum ueni ad Huls  
 drichum Zuinglium. Hunc, ubi me benignissime excepit,  
 & iam aliquandiu familiaritate eius fueram usus, rogaram,  
 ut literis mihi Petrum Sebiuillam Concionatorem Gratias  
 nopolitanum in officio retineret; prædicandi inquam solum  
 CHRISTVM, id quod iam dudum incoeperat pulcherris  
 me. Obtemperauit is, ut est ad Euangelium promouendum  
 promptus, lubentissime. Iam uero ne illud solum egerim, ue  
 rumetiã amplius aliquid, Calcographo dedi epistolas, de  
 quib. hucusq; dixi, diuulgandas, ut & alij haberēt unde utili

tatē nanciscerentur . Volo itaq; lector, quisquis es, ut hinc in-  
telligas Annemundū pro CHRISTI gloria, & tuo profectu  
nihil nō & tentaturū, & subiturū. Quid uero putas, si omnes,  
qui stilo ualent, idem, quod illi duo, facturi sint? Futurum  
profecto esse uideo, ut non modo Gallia nostrae, uerum &  
Italia, & Hispania, gentesq; reliquae CHRISTVM ex Aeg-  
ypto redeuntem ambabus ulnis sint excepturae . Caterum  
unum est, quod te uolo in oculis habere perpetuo . Sic deum  
dilexisse mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut  
omnis qui credat in eum, non pereat, sed habeat uitam aeter-  
nam. Hoc enim faciens, nec à mundo, nec à diabolo ad hu-  
mana poteris abstrahi commenta, qualiacunque sint in spe-  
ciem . Sic igitur fac, & saluus eris. Vale in CHRISTO, &  
Euangelium foue. Tiguri nono Kalend. Februarij, anno

M. D. XXIII.

A ij

AD CAROLVM DVCEM SABAVDIAE

CLARISSIMO & inlustrissimo Principi ac domino D.  
CAROLO duci Sabaudiaē suo in CHRISTO  
patrono clementissimo Martinus

Lutherus.



RATIA & pax in CHRISTO IESV domi-  
no nostro. Amen. In primis ueniam abs tua cle-  
mētia peto, inlustrissime Princeps, quod ego sex  
hominum neq; iussus neq; uocatus ad tuam celsitudinem  
audeo scribere prior, facit id gloria Euangelij CHRISTI, in  
qua & ego glorior & gaudeo, ubi ubi illā uidero & audiero  
clarere aut surgere. Dabit igitur tua celsitudo id euangelij  
causae, quod prā gaudio tuam Dominationem inlustrissi-  
mam saluto prior. Peruenit enim ad nos fama, eamq; confir-  
mauit Annemundus Coctus EQVES AVRATVS Gal-  
lus, incredibiliter feruens in gloriam Euangelij, esse scilicet  
Ducem Sabaudiaē syncerae pietatis uehementer studiosum,  
rarissimo certe inter principes dono Dei. Proinde dignum  
esse iudicaui, ut dignissimus princeps à me indignissimo gra-  
tulandi officio saltem benediceretur, & animaretur. Quod  
exemplo T. D. pulcherrimo plurimos lucrifacere poterit  
CHRISTVS. Itaq; q̄ certius T. D. internoscat quantum  
nobiscum sapiat, & q̄ diuersum sacrilegi Sophistae hactenus  
sub Papa docuerint. Non pigebit me hic aliquot capita per  
ordinem recensere, simul uelut rationem reddens nostrae do-  
ctrinae Quò habeat T. D. quod opponat ijs qui maligna de  
nobis loquunt̄, & T. D. synceritatē astu Satanae tētari uolēt.

PRIMUM docemur & docemus salutis initium,  
imò totum pondus esse fidem in CHRISTVM per sangui-  
nem suum solum, non per nostra opera peccata delentem,  
mortis

MARTINI LVTHERI EPISTOLA.

mortis imperium tollentem. & ut Propheta ait: Captiuitatē *Pfalmo. 67.*  
 captiuam ducentem. Sic enim Paulus Galat. 2. Si ex lege  
 iusticia, ergo CHRISTVS gratis mortuus est, Absit, Et Ro  
 man. 3. Arbitramur hominem iustificari ex fide sine operi  
 bus legis. Hęc uero fidem, adserimus donum dei esse in cor  
 de nostro per spiritum sanctum creati, nō nostris actibus (ut  
 uocant) fingi aut formari, quam illi fidem adquisitam, id est  
 imaginem somni habent. Res uiua est fides, totum immu  
 tans hominem, nullo præcedente nostro merito, sed solo uer  
 bo dei, ut dicitur Ro. 10. Fides ex auditu, auditus autem per  
 uerbum CHRISTI.

EX HOC primo capite consequens est sacrilegum  
 esse, & abominabile, quicquid hætenus Pontifices, Scholæ,  
 & Monasteria de satisfactiōibus, de operibus meritorijs, cō  
 gruis & condignis in toto orbe disseminauerunt, esseq; o  
 mnia Monasteriorum, & Sacerdotum instituta prorsus per  
 ditionis sectas, de quibus CHRISTVS prædixerit: Multi  
 ueniēt in nomine meo, dicētes: Hic, & hic est CHRISTVS.  
 Nam si operibus nostris peccata delentur, & impetratur gra  
 tia, ergo non sanguine CHSISTI? Quid ergo nisi frustra  
 CHRISTVS mortuus est? Sin autē per sanguinē CHR  
 STI impetratur, ergo non operibus nostris, Quid ergo nisi  
 frustra sunt omnium Monasteriorum, & operariorum stu  
 dia: presertim cum illi opera sua non simpliciter faciant, sed  
 tanquam coram Deo per hæc uicturi, id quod soli sanguini  
 CHRISTI debetur. Merito itaq; censemus omnia Monaste  
 ria, & Cathedrales, & quascunq; similes abominaciones in  
 loco sancto stantes, penitus abolendas, aut deferendas esse:  
 ut quæ in manifestam sanguinis CHRISTI, & fidei iniuriã  
 hominibus persuadēt operibus suis fidere, salutem querere,

## AD CAROLVM DVCEM SABAVDIAE

quod nihil est, quàm dominum, qui nos mercatus est, negare, ut Petrus ait.

SECVNDVM caput est, iustificatis iam per fidem uerbi, & in societatem CHRISTI incorporatis, omnibusq; iam peccatis, et morbis in CHRISTO uicis restare, ut bona faciamus, & bene uiuamus: non ut per hæc boni fiamus, aut peccata deleamus (quod fidei solius est) sed ut tanq̄ bonæ arbores bonis fructibus testemur nos esse iam sine peccatis. Ut enim arbor bona nō sit fructibus suis bonis, sed cognoscitur tanq̄ certissimis argumētis, certūq; sit arborē esse bonā: quæ nō sibi ipsi, sed alijs fructuosa est. Ita & nos autore Paul. fidē per charitatē efficacem probamus, dum operibus testamur, seu certum facimus nos nō egere operibus bonis ad iusticiā, sed eam iam habere per fidē in corde. Proinde talia opera docemus, quæ non nobis, sed proximo tātum utilia & necessaria sunt. Hæc est charitas. Et hic iterū dānantur Monasteria, & totius orbis uulgata illæ fundatiōes, quod talia sint eorū omnia opera & studia, tam fundātium, quàm fundatorum. Ut ijs suæ salutī pro suis (ut uocant) animabus, & suorū consuluerint, nō est ibi opus quod alteri, sed quod nobis ipsis tātum queritur: id quod ex Diametro pugnat cum charitate.

EX ijs iam tertio capite sequitur, quod nullæ traditiones, aut decreta patrum, aut statuta conciliorum necessaria sunt, aut ad peccatum obligare possunt, quia sicut opera talium seruata, seu obedientia eorum nihil prodest coram Deo pro peccatis tollendis (hoc enim solius agni est tollentis peccata etiam totius mundi per fidem in sese) Ita nec neglecta faciunt reum. Et cum sit impossibile esse legem, quæ reum faciat neglecta, quæ absolueri nō possit seruata. Quæ enim esset lex, quæ seruata nihil prosit, & tamen omiſsa ob

MARTINI LVTHERI EPISTOLA.

fit. Proinde fatemur mundum esse per Papas, Concilia, Decreta patrum miserissime seductum ac irretitum ijs hominū traditionibus: uerius autem laqueis Diaboli, dum omnibus persuasum fuit ijs seruatis salutem, ijs omissis perditionem cōtingere. Hoc figmēto obscuratus est CHRISTVS, Euangelion, Fides, Charitas, uer ebona opera, libertas Christiana: & in summa, nobis palma salutis intercepta, ut frustra currere coacti sumus.

PROINDE & teterrimā illam tyrānidem excommunicationis abolitam & desertam oportuit, qua suas abominations stabilierunt. Neque enim ullum aliud habent Pontifices in Ecclesia officium, quā uerbi ministerium. Nec est locus excommunicationis, quā si quispiam contra fidem uel charitatem peccet. In quibus casibus Papa non solum non excommunicat, sed licentiam & securitatem tum exemplo proprio, tum uerbo suo indulget. Solum autem in suis sacrilegis traditionibus fulminat. Quas (ut dixi) liberasse, imō nullas oportuit, cum Christiani non alio nisi uerbo eo regi debeant, quō Christiani, id est liberi à peccatis fiant: hoc est solo Euāgelio Dei puro sine additionibus Conciliorum, Doctorum, patrum: quid enim est Christianos regere eo uerbo, uel quo seruato Christiani neq; fiunt, neq; manēt: imō esse Christiani desinunt, & CHRISTVM amittūt. At huiusmodi est omne uerbū extra Euangeliū, cū (ut diximus) nō opera nostra, sed sanguis CHRISTI nos à peccatis lauet. Nō ergo operibus & uirtutibus hominū, quare nec legibus hominum, sed sola uirtute CHRISTI in nobis salus regnat.

PORRO hi qui Christiani non sunt, alia ratione cohæcēdi sunt quā traditionibus hominum. Hi enim sinēdi sunt, & (ut Paulus dicit) cū eis non misceri oportet. Est



AD CAROLVM DVCEM SABAVDIAE

gladius (ut uocāt) secularis, sunt magistratus, horum est ma-  
 los coërcere ab operibus malis metu gladij, ut Rom. 13. do-  
 cet Paulus; Christianos uero reget Pontifex sine gladio, solo  
 uerbo Dei, quādo certum est Christianos non esse, nisi spon-  
 taneeboni sint. Quod sit uispiritus fidei, ut ad Ro. 8. dicit:  
 Qui spiritali Dei aguntur, filij Dei sunt. Quæ est ergo insania  
 spontanee bonos urgere legibus malorum, aut nolentium  
 esse boni? sane & Christiani, ut omnia sponte faciunt, ita &  
 gladio subsunt, & legibus malorum. Immo & gladium ges-  
 runt non pro suo commodo (cum nullius egeant ad iusticiã  
 & salutem nisi fidei) sed ad aliorum exemplum, & ad com-  
 munem pacem seruãdam, iuscq; gladij corroborandum. Ita-  
 que liberi sunt, & libere uti debent quibuscunque traditioni-  
 bus ac cæremonijs.

IAM uero illud omnium teterrimum, nec nisi cer-  
 tissimus certissimi Antichristi ausus & temeritas, ut non sa-  
 tis habuerit liberos Christianos suis legibus uexare stultis &  
 inutilibus, immo fidei noxijs: insuper manum misit manife-  
 ste sacrilegam in testamentum Dei. Primo utranquẽ Eucha-  
 ristiaẽ speciem abstulit uniuerso orbi, cum tam clare dixerit:  
 Bibite ex eo omnes. Hic planè non amplius seruendum est  
 captiuitati. Satis parsum est infirmitatimultorum, quos ille  
 captiuos tenuit & tenet. Reuocandus est ergo tandem usus  
 utriusq; partis sacramenti cū fiducia, siue id nolint portæ in-  
 feri, siue angeli cœli, cum nos habeamus maiestatis diuinæ  
 auctoritatem et testimonium: imò institutum et præceptum.  
 sic, quod ex missa, quæ uerbum est Euangelij promissionis  
 cum adiecto signo corporis & sanguinis CHRISTI, ad si-  
 dem alendam instituta, opus & sacrificium fecerunt, semper  
 in locum fidei opera sua statuẽtes, furiosi & singulis diebus  
 tot millibus

MARTINI LVTHERI EPISTOLA.

tot millibus missarū CHRISTVM offerentes, cū ille semel sese obtulit, & amplius nec seipsū ipse offerre uelit, nec opus sit. Semel & una oblatiōe exhaustis oīm peccatis qui credūt:

HAEC sunt ferme rerū capita, quæ uellem Clariss. Princeps, ut (sicut cœpisti) strenuo studio in uares publica fieri. Vi gladij nihil geri, neq; tentari uolo; neq; id prosperum erit, sed tantum ut sub, T. Celsitud. Dominio tuti sint atq; uocentur, qui sincere euangelizent: iste enim erit modus, hæc uia qua destruet CHRISTVS Antichristum illum spiritus oris sui, ut, iuxta Daniele, sine manu conteratur. Cuius aduētus fuit per efficaciam Satanæ insignis mēdacibus: non enim Satanas Satanam eiiciet, sed dīgito Dei eiiciuntur Dæmonia. Maeste ergo Princeps Inlustissime, & Heros Generosissime, suscita eam quæ in te cœpit ardere scintilla, & fac ut ignis egrediatur de Domo Sabaudia, ceu de Domo Ioseph: & sit ei tota Gallia quasi stipula, & ardeat sanctum illud incendium CHRISTI, immo flagret, ut uere tandem Francia possit dici ab Euangelio regnum Christianissimum, quod hactenus ab impio in Antichristū, propter effusum sanguinē, officio, impie dictum est christianissimum. Amen. Dominus autem IESVS CHRISTVS sibi let spiritu suo in cor tuum & tuorum, ut faciatis omnes quæ ad gloriam sancti sui uerbi faciant. Amen.

Danielis, 3.

Lucæ. 11.

VVittenbergæ Anno. 1523.

Septima Septenbris.

B

CHARISSIMO NOBIS IN CHRISTO FRATRI  
Petro Sebiuillæ Ecclesiastæ Gratianopolitano  
uïro doctissimo Huldrichus Zuïnglius.



**G**RATIA & pax à deo & domino nostrò IESV  
CHRISTO. Si bonis ad bonorum conuiuia li-  
cebat etiã non uocatis accedere doctiss. iuxta ac  
prijssime Petre, ut est in prouerbio, quanto magis Christianũ  
etiã longissime dissitum Christiano cõuenire licebit. Quorũ  
una fides est, baptisumus unus, spiritus idem; idem eiusdem  
pietatis studium. Hinc factum est ut ignotus ignotum, itidẽ  
quod ego nunc facio, bene habere præcatus sis: atq; id literis  
ad Annemundum Coctum missis, uirum ut genere, doctri-  
naq; clarum, ita pietate humanitateq; longe clariorem. Qui  
ut nihil antiquius amicitia pietateq; inter humana ducit, sic  
uicissim siropte quodam iure (nam tantũ uiri imperio luben-  
tes uolentesq; cessimus) compulit incultas istas ad te dare li-  
teras, quibus futurum sperat, ut amicitia secũdis auibus cœ-  
pta, eodem auspicio in diem magis ac magis crescat. Sed in  
eum modo usum, ut pura illa ueraq; CHRISTI religio am-  
plietur, quam quis non uidet hypocritarum uersutia longo-  
iam tempore ita esse scœdatam, obscuratam, laceratam, ut pa-  
rum abfuerit, ne in uniuersum excinderetur? Sed dominus  
Sabaoth pauxillum seminis reliquit, quo segetem uberrimã  
redituram speramus. Eadẽ enim est cœlestis granũ uis, quæ  
synapis, quod omnium seminum est longe minimum: huc  
tamen uenit, ut arboreseat, & auibus cœli uarijs uetorum se-  
ditionibus iactatis sedem firmam, hospiciũq; tutum exhi-  
beat. Semen hoc, ut CHRISTI uerbis utar, est uerbum Dei.  
Quod tamen si dum aliã aliò cadit, paruum: ubi tamẽ in ter-  
ram bonam ceciderit, fructũ habundantissimum refert, quã

AD P. S. GR. HVLD. Z. EPISTOLA.

uis & hunc numero potius quàm ingenio disparem. In hoc inquam uerbo requiem uitamq; inueniunt miseræ mortaliū mentes, quæ non modo huius immundi mundi tur multibus, uerum insidijs etiam spiritalium nequitiarum di uexantur: hocq; adeo, ut iuxta Prophetæ uerbum, consolati onem nō recipiant, nisi postquam Dei memores factæ fue rint. Renuit, inquit, consolationem accipere anima mea: *re* cordatus autem Dei, iustificatus sum. Quæ enim per immor talem Deum, firmitas aut consolatio in uerbo hominis est: cum omnis homo sit mendax; manifestum igitur sit huma nam mentem non alia ratione tranquillam reddi posse, q̄ uno, soloq; Dei uerbo. Hoc tu recte facis, quum nitide, pure, sancteq; prædicare in animum ducis, quemadmodum literę ad Annemūdum datæ indicant. Idq; non sine Theseo, ut di citur, Nam caro & sanguis hoc tibi non reuelarūt (hæc enim iubent ut se audiamus) sed pater cœlestis animum sic tuum ad se traxit, ut eius iam uerbo fidens, alios quoq; ad hanc se curitatem cupias pertrahere. Verum heus tu, ædificādi con silium ne capias, ni prius sedens, impensam omnem suppus taueris, alioqui à filijs huius seculi, dum in medio seruore or pus fuerit, ipseq; rerum inopia ab eo reuocatus eris, ad hunc rideberis modū: Hic homo cœpīt ædificare, & absoluere ne quiuīt. Quæ te contumelia, nisi uehementer incalueris, ma num ab aratro retrahere, inq; salis lapidem conuerti faciet: ut sal deinde fias, qui ingenium ammittens, plusquam fatuum est: Sunt autē aduersus hos hostes Opes, arma, comeatusq; parandi. Primo contra Antichristum, qui ut se extulit supra omnē cultum, ita deus dici amat, & uerbum suum numinis loco uereri præcipit: tamen si plus q̄ *δὴς δὴ ἀ πασῶν* à uerbo dei dissideat. Si nūc fidelis domino tuo minister esse cupias,

AD PETR. SEBIVILLAM GRATIANOPOL.

Huc adigere, ut istum odio habeas, nisi duobus dominis ser-  
 uire alicubi didiceris, aut amicitiam aliquam inter CHRIS-  
 TVM esse & Belial. Istum si odio habeas, cogeris ante om-  
 nia male audire, hæreticus dici, ignes, mortes & dira supli-  
 cia iterari uidere; ac paulo post, nisi ad eius partes cõcesseris,  
 experiri. His enim armis probe instructus est, gestitq; nõ ue-  
 litarem, sed statã cum CHRISTI ministris pugna cõserere.  
 Satis enim iam exasperatus est, tantũ enim rei & copijs eius,  
 dum aliquandiu prædicatum est Euangelium, decessit, ut in  
 desperationem rerum omnium adactus, ultima experiri cog-  
 gatur. Hic animũ explora tuum, & humeros examina quid  
 queant, quid ferre recusent, senties mox te tam graui aduer-  
 sario imparem. Ad hæc adde alios innumerabiles, qui con-  
 tra te dimicaturi sunt hostes. Inueteratæ, sed pessimæ cons-  
 uetudines, Patres, sed qui uirici ferè sunt. Nam uerbum  
 Dei crebro iuxta libidinem adfectuum suorum detorserunt.  
 Principes, qui bis insaniunt, dum secundum hoc quod ue-  
 ram pietatem ignorat, nihil aliud quàm tumultuantur. Un-  
 de in gregem CHRISTI facile extimulari poterunt. Mun-  
 dus totus κακοδαιμον, & malorum examina simul omnium.  
 Hæc inquam, omnia tibi, antequam telam ordiare, expen-  
 denda erunt, ne in mediã pugna remittas brachia, & fugæ  
 præsidium queras: nam sic fieret, ut postrema deteriora pri-  
 mis redderentur. Iam te, si bonus orator essem, & tu carnalis  
 esses, ad desperationem nimirum adegissem, ut iam latebras  
 potius meditareris quàm concionem. Sed non patitur hoc  
 qui te extimulat CHRISTI spiritus, qui eiusmodi malis ani-  
 mum acuit potius q̃ retundat. Age igitur optime uir, & tu  
 in Gallijs uestris Christiana armatura munitus in publicum  
 prodeas, sublataq; instar tubæ, uoce Euangelium CHRIS-  
 TI

**STI** inuitis oibus puppis & Papis prædices. **CHRISTVS**  
 classicum cecinit, impressionem in Pharisæos, Scribas & hy  
 pocritas facturus. Quis dexteram ad prælium non armabit?  
**Leo** rugiet, inquit **Propheta**, quis non metuet? **CHRISTO** Amos. 5.  
 per ministros suos detonante, quis ex hostibus non pauebit?  
 imò dispeream si nō in totis castris illorum trepidatur, adeo  
 uertuntur, rotantur, ambigūt, ut quid consilij secuturi sint,  
 nondum, exploratum habeant. Nam si **CHRISTI** gregem  
 mactare per seductos principes cœperint, uerentur ne sic ape  
 riatur fenestra, ut in se quoque paulo post irruatur. Si uero  
 scriptura obfistere tentēt, conscij sibi uiolentiæ quā ei faciūt,  
 toti frigent ac concidunt. Quid igitur in ignauos non irruū  
 mūs, uno illoq; satisfortū uerbi Dei præsidio fulti? Is enim  
**Antichristum** interficiet spiritu oris sui. Stat à nobis **CHRI**  
**STVS**, quis contra nos? si uis licet Samia uasa, nemo ta  
 men cōfringere nos poterit, quandiu nobis dominus adest?  
 aderit autem ex uerbi sui certa promissioe, qua pollicitus est Matth. 28.  
 se nobiscum māsurum usq; ad mundi consumationem; ius Matth. 10.  
 sitq; securos esse cum ad reges & præsides illius causa traha  
 mur: daturum enim esse & sapientiam & eloquentiam, cui Lucæ. 21.  
 omnes aduersarij non poterint resistere. Quid igitur adhuc  
 cūctamur? uictoria in manibus est, an eam decerpere piget?  
 Cœlum & terra transibunt citius q̄ Dei uerbum. At is uicto  
 riam promisit; recipi igitur nō potest ut nō uincamus; quin  
 hoc potius dixerō, nos alia ratione uinci non posse, q̄ si cona  
 tus nos pigeat. Tenera, non ignoro, ut nos caro dehortetur;  
 sed cogitandum iterum atque iterum nobis est, quod uersu  
 tus ille *νεκροδαιμόν* semper nos illius occasione suadelaq; se  
 duxit: ac dum illa labores etumnaq; refugit, nobis ocysus ab  
 eius blandicijs fugiēdum est, auresq; **Vlyssis** in morem ob

AD PETRVM SEBIVILLAM GRATIANOP,  
ferandæ, ne forte ei cedamus. Quæ enim maior infœlicitas  
nobis accidere poterit, quàm si proditrix caro partium suas  
rum fecerit, ubi toti nihil aliud, quàm caro futuri essemus:  
ac subinde quoque nihil aliud quàm beluæ? Partium au-  
tem eius sumus, si spiritum illius gratia prodimus. Tum  
autem spiritum prodimus, quum nō omnibus nervis Deo, il-  
liusq; uerbo fidimus: in eo enim solo spiritus uiuit. Quod  
enim tam iuratū est creaturæ uerbum quod non fallat? Hæc  
igitur & his longe tum robustiora, tum diuiniora tecum res-  
putans, doctissime Petre, animaberis non modo cum Antis-  
christo, ac paucis principibus, sed cum uniuerso simul orbe  
certamen subire. Siquidem cœlestia ambis: ea enim solis eis  
eueniunt, qui terrena negligūt. Ante omnia igitur opus est,  
ut teipsum abneges, ac quotidie moriaris. Id autem tuopte  
Martem non poteris: ad unam igitur Dei misericordiam con-  
fugiendum, & illic flagitandum, ut uias tuas dirigat, mentē  
illustret, cor excitet, ut illius gratia nihil non, tum audeas, tū  
quo pacto fieri oporteat, scias. Proderit & illud Euāgelium  
CHRISTI prædicare molienti, ut reiectis omnibus præsum-  
ptis opinionibus & doctrinis, hoc consilio ad literas uere sas-  
cras accedat, ut eas præceptorem habiturus sit, non discipulus.  
Nam qui sic accedunt ad eas, ut hoc solum querant  
quod opinionibus suis adstipuletur, uim eis facturi sunt, &  
constupraturi. Qui uero contra, sic ad eas adeūt, ut illinc cœ-  
lestis consilij mentem auferant ut doceantur, non ut doceāt,  
hi deniq; cum multa fruge recedent. Vides in xpo frater  
quantum breui pietas CHRISTI in Germania profecerit?  
Ea non minus promotura est & apud uestros, si id a domino  
petieritis. Peti uero gaudet: est enim animarum amās, ac zel-  
lotypus. Hæc, ut tandem finiam, huc tendunt. ut Euange

HVLDRICHI ZVINGLIJ EPISTOLA.

lium intrepide uelis apud tuos profiteri: quod præcor faxit  
deus optimus maximus. Nam frigida ista, & plusquam tem  
poraria epistola plane scio quàm nihil possit: tamen

si eam Annemundus noster tum amicitiae

iure, tum candore isto suo, quo nos

bis plusquam par sit tribu

it, extorserit. Proin

de nobis iam

ut ami

co

utere: ac si id nimis est, ut discipulo. Et persuade

tibi Zuinglium tuum futurum, dumodo

te CHRISTI esse audimus. Vale

& confortare in domino, &

in ui potetiae illius, q

te seruet incolu

mem.

Ex Tiguro Heluetiorum primario pago. 13.

die Decembris. Anno. M. D. XXIII.

Salua sit, si qua apud uos

est CHRISTI

Ecclesi

2.



